



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 1. Initium gravissimæ contentionis ob Regaliam in Galliis exortæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)



HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ.
LIBER CCVII.

CLEMENS X. PONTIF. MAXIM.
LEOPOLDUS I. ROM. IMP.

§. I.

Initium gravissimæ contentionis ob Regalem in Gallis exortæ.

Sæc. XVII.
A. C. 1675.

Inter horrendos belli strepitus, quos Ludovici XIV. Galliarum Regis arma in exteras Provincias circumlata excitaverant, in ipsius Francici

*Vid. supra
l. 206. §. 75.
tom. 63.*

Hist. Eccles. Tom. LXIV. A Re-

Sæc. XVII. Regni visceribus novæ ac domesticæ
 A. C. 1675. lites oriebantur, non quidem ferro,
 calamis tamen acutioribus non sine
 Mem. Chron. & Dogmat. multiplici Sedis Apostolicæ, animo-
 Mem. de Clergé. rumque plaga per septendecin ferme
 annos agitatæ. Occasionem dederat
 ejusdem Regis edictum ante biennium
 die decima Februarii promulgatum cir-
 ca Regaliam, seu circa jus, vi cujus
 Rex ad omnia beneficia vacantia, ad
 quæ alias Episcopus nominaret, nomi-
 nandi, omnibusque vacantis hujus Ec-
 clesiæ proventibus tamdiu frueretur,
 quousque novus Episcopus fidelitatis Sa-
 cramentum, quod ad acta publica re-
 ferri jubebatur, præstiterit, aliisque
 ad pacificam Ecclesiæ possessionem ne-
 cessariis defunctus sit: Postquam igitur
 Ludovicus Rex hoc jus sibi etiam ad
 Provincias Alpibus, montibusque Py-
 renæis vicinas, in quibus hucusque il-
 lud non invaluerat, suo edicto arropa-
 bat, huic novitati sese vehementer op-
 posuere Episcopi; quocirca Rex inni-
 xus sententiæ Parlamenti, quod jam re-
 gnante Henrico IV. hoc privilegium esse
 universale, & ad omnes Ecclesias pertine-
 re decidit, hoc anno Mense Aprili rursus
 novo edicto præfatum jus sibi vendi-
 cavit, illiusque executionem imposuit,
 præcipiens, ut *singuli Archi- & Episcopi*
intra duos Menses post exhibitum fidelitatis
Sacra-

Sacramentum adstringantur ad literas patentes (regaliæ) absolutorias impetrandas, easque in acta Cameræ Parisiensis referendas: qui autem præstito antea fidelitatis sacramento ejusmodi literas nondum impetrarint, eas impetrent, atque intra bimestre in acta præfatæ Cameræ referri curent. Sæc. XVII.
A. C. 1675.

Huic Regis mandato Episcoporum quidam aut præmiis pellecti, aut de edicti æquitate persuasi, subscribere, alii occultis querelis ac gemitibus dolorem suum testati sunt: inter omnes vero infractis animis duo Episcopi, scilicet Nicolaus Pavillon Alestensis & Franciscus Stephanus Caulet Apamien-
sis in aciem prodire, ac sese Regis edicto, quo Ecclesiæ disciplinam, libertatem, immunitatemque violari querebantur, fortiter opposuerunt: insuperhabita tamen horum repugnantia varii Ecclesiastici, qui *Regalistiæ* vocabantur, a Rege nominati, invitatis ac eluctantibus hisce Episcopis, vacantia beneficia adiere, eorumque possessionem captarunt: cum ergo hæc, multaque alia fuissent attentata, ambo hi Episcopi Ecclesiarum Capitulis severe inhibuerunt, ne quospiam vi Regaliæ nominatos ad Ecclesiæ suæ gremium reciperent; illos vero, qui hac ratione in Ecclesias involarent, denunciata anathematis poena repellerent.